



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An, & quæ gratia, ad cognoscendas veritates supernaturales, seu
ad assentiendum mysteriis fidei, necessaria sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

originalis fuisset nescientia aliquarum veritatum A
naturalium, quæ ad ejus statum non pertine-
rent: habuisset tamen scientiam omnium quæ
debebat scire, seu quæ ad ipsius statum pertine-
bant. Et de hac solum loquitur S. Thomas qu. 18.
de verit. art. 7. in corp. cum dicit: Non oportuit fi-
lios ad mortem natos omnium scientiam habuisse, sed ad
eam tempore proficiscentes pervenissent; non verò de sci-
entia rerum omnium naturalium absolute: hæc
enim, cum ex parte objecti sit fere infinita, sen-
sum & naturalis discursus ministerio non po-
test perfecte acquiri, sed solum a Deo per specie-
rum infusionem haberi; quo pacto Ad. mo in
primò instanti creationis collatus fuit. Ex quo

75 Inferes quod, quod gratia desiderata ad to-
tam naturalium veritatum collectionem attingenda,
non est, nec ei debet supernaturalis
quoad substantiam, bene tamen quoad modum.

Prima pars patet: Primò, quia collectio veri-
tatum ordinis naturæ, non est supernaturalis quoad
substantiam: Ergo ut cog. oseretur, non requi-
rit ex parte principii cognoscentis gratiam enti-
tative supernaturalem; namd. nec id quod exi-
git pro principio formam supernaturalem, est
entitatively supernaturalis. Secundò, quia per hoc
quod Deus infundat homini species omnium res-
rum naturalium, & potest ad illarum cogniti-
onem: At species sic infusa, non iussu supernatura-
les quoad substantiam, utpote ejusdem rationis
cum speciebus acquisitis à nobis, unde D. Tho-
mas 1. p. q. 94. art. 3. id. dicit, quod Primus ho-
mo habuit scientiam omnium per species à Deo infusas,
nec tamen scientia illa fuit aliter rationis & scientia no-
stra, sicut nec oculi, quos cecò nato Christus dedit, fuerunt
alterius rationis ab oculis quos natura produxit: Ergo
gratia desiderata ad totam veritatum naturalium
collectionem attingendam, non debet dici su-
pernaturalis quoad substantiam.

Secunda etiam pars non minus est evidens:
Idem dicitur supernaturalis quoad modum,
cujus entitas non transcendit ordinem naturæ,
modus tamen quo habetur, illius facultatem ex-
cedit; unde vultis cecò nato restitutus à Christo,
fuit supernaturalis quoad modum quo habitus
est: At gratia desiderata ad totam naturalium ve-
ritatum collectionem attingendam, non ex-
cedit quoad entitatem facultatem humanæ natu-
ræ, ut jam ostendimus, excedit tamen illius fa-
cultatem quoad modum quo habetur, cum spe-
cies ad hoc requiritur & beant à Deo infundi, &
non possint nisi longissimo tempore, sensum
ministerio acquiri, atque ab intellectu agente à
phantasmatibus abstrahi & depurari: Ergo talis
gratia supernaturalis quoad modum debet.

ARTICULUS II.

An, & quæ gratia, ad cognoscendas veritates
supernaturales, seu ad assentiendum my-
steriis fidei, necessaria sit?

Iceter hujus difficultatis resolutio directè per-
tinet ad Tractatum de fide, tamen quia D.
Thomas hic art. 1. de illa agit, asserens ad cogno-
scendas veritates supernaturales indigere homi-
nem illustratione gratiæ, idè ab aliquibus hic
pertractatur, & nos breviter illam attingemus.
Unde sic

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

Suppono primò, veritatem aliquam tripliciter
dici posse supernaturalem: Primò ex parte ob-
jecti tantum, non verò ex parte rationis sub qua
attigitur, ut contingit quædam hæretici fide hu-
manâ, vel sua voluntate, aliter veritatem super-
naturalem, v.g. mysterio Trinitatis, vel Incarnationis,
præbet assensum; licet enim tunc objectum hu-
jus veritatis sit supernaturalis, motum tamen,
seu ratio formalis sub qua illi assentiuntur, est purè
naturalis, quia non ei assentiuntur propter moti-
vum divinæ revelationis (aliis omnia alia my-
steria à Deo revelata hanciter crediderunt) sed pro-
pter aliquod aliud motivum, seu rationem hu-
manam, cui potest subesse falsum. Secundo ve-
ritas aliqua potest esse supernaturalis solum ex
parte rationis sub qua, seu motivi assentiendi,
non verò ex parte objecti crediti, ut quando a-
liquod naturale creditur ex divina revelatione, v.
g. dum credimus Abraham habuisse duos filios,
hoc enim naturale est, sed attingitur per lumen
divinæ revelationis in Scriptura contentæ. Ter-
tiò potest contingere ut veritas sit supernatura-
lis utroque modo, ita ut objectum cogni-
tum, & ratio sub qua cognoscitur & creditur,
supernaturalia sint, ut dum credimus Deum esse
eternum & unum.

Suppono secundò, ad veritates supernatura-
les cognoscendas duo requiri, unum ex parte ob-
jecti, scilicet quod proponatur seu reveletur; al-
terum ex parte intellectus, scilicet assensum
circa tales veritates: unde ex parte utriusque po-
test esse difficultas, an scilicet requiratur gratia
supernaturalis tam ad proponendum objectum
quàm ad assentiendum rebus fidei. Verum quia
de primo nunquam fuit disceptatio in Ecclesia
(Pelagius enim gratiam illam externam, se re-
nentem ex parte objecti, non negavit in secun-
do statu suæ hæresis, sed tantum internam, seu
lumen se tenens ex parte potentiz, ab externa
revelatione distinctam, ut in Tractatu de hæresi
Pelagiana ostensum est) idè de altero tantum
hic agemus, & an requiratur gratia aliqua inter-
na, tam ex parte intellectus quàm ex parte vo-
luntatis, ad assentiendum mysteriis fidei, brevi-
ter hic discutiemus.

Dico ergo primò: Esti veritas sit supernatura-
lis ex parte objecti cogniti, si tamen ratio sub
qua, seu motivum assentiendi, sit naturale, potest
viri-
bus naturæ attingi, suppositâ revelatione &
promulgatione Evangelii.

Pater hæc conclusio: Objectum enim super-
naturale, prout subest rationi sub qua naturali,
non est formaliter supernaturale, sed duntaxat
materialiter, cum objectum constituitur forma-
liter in esse objecti, per rationem formalem sub
qua attingitur, & cui subijcitur: Ergo suppositâ
revelatione, seu manifestatione, potest viri-
bus naturæ attingi. Unde hæretici fide humanâ
& naturali assentiuntur quibusdam mysteriis su-
pernaturalibus in Scriptura revelatis, quia ea
non attingunt sub lumine divinæ revelationis,
sed sub aliquo motivo naturali, quo ad creden-
dum moventur, eaque credunt, quia proprio suo
judicio putant hæc & non alia sibi esse creden-
da; & licet aliquando ea credant firmissimè, non
tamen firmitate ortâ ex certitudine fidei, sed ex
pertinacia superbia.

Dico

79 Dico secundò: ad assentiendum veritatibus supernaturalibus, siue illæ sint supernaturales si- mul ex parte objecti & rationis sub qua, siue tantum ex parte rationis sub qua, seu motivi, gra- tia interna requiritur.

Hec conclusio est certa de fide, & definita in pluribus Conciliis contra Pelagium, qui in primo & secundo statu suæ hæresis negavit gratiam internam esse necessariam ad credendum, estimans ad hoc sufficere gratiam externam, nimirum prædicationem Evangelii. In quo errore fatetur Augustinus lib. de prædest. Sanctorum cap. 7. se fuisse ante Pontificatum, putans fidem, quæ in Deum creditur, non esse donum Dei, sed esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, piè, & iustè vivamus in hoc sæculo; illumque ibidem, & capite præcedenti, variis Scripturæ testimoniis refellit, præsertim ex illo Apostoli ad Philip. x. vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed utiam ut pro illo patiamini; & ex illo ad Ephesios 2. Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Deum donum est. Addit etiam illud 1. ad Corinth. 4. Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? eoque præcipue testimonio dicit se fuisse convictum, ac permo- tum ad retractandum quod ante Pontificatum docuerat. Item urget Pelagianos ex verbis ejusdem Apostoli immediate præcedentibus: Quis te discernit si enim (inquit) fides esset in nobis ex nobis, quilibet fidei ducere posset, si des mea, quam non ex gratia sed ex me ipso habeo, me discernit. Urget etiam eos ex illo 2. ad Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quæ ex nobis. Minus enim est cogitare quæ a credere, nam credere est cogitare cum assensu; si ergo non possumus ex nobis cogitare veritates supernaturales, multò minus eas possumus credere. Denique idem S. Doctor lib. de bono persever. cap. 19. in ejusdem veritatis confirmationem profert egregia Cypriani, Ambrosii, & Gregorii Nazianzeni testimonia, quæ brevitate causa prætermittit.

Favet etiam manifesta ratio: Assensus enim fidei quo prædictis veritatibus assentimur, est supernaturalis, cum illas sub motivo, seu ratione formali sub qua supernaturali, nempe lumine divine revelationis, attingat: Ergo est impropor- tionatus visibus naturalibus intellectus, subindeque indiget elevatione ad illum elicendum.

80 Confirmatur: Fides est primum nostræ justifi- cationis initium, fundamentum, & radix, prima- que dispositio ad gratiam justificantem; ut de- clarat Sacra Synodus Tridentina sess. 6. cap. 6. At dispositio est ejusdem ordinis cum forma ad quam præparat & disponit subjectum: Ergo cum gratia quæ justificatur sit supernaturalis, fides etiam in supernaturali ordine debet consti- tui, ac proinde vires naturales excedere.

81 Dico tertio: ad credendum ex motivo super- naturalis, non solum requiritur auxilium super- naturale in intellectu, sed etiam in voluntate. Est contra Semipelagianos, qui licet cum Ecclesia Catholica faterentur, nos non posse credere my- steria revelata sine gratia, contendebant tamen initium fidei esse à nobis, scilicet piam affectio- nem ad credendum, seu quemdam credulitatis affectum. Qui error proferitur à Concilio Arausico can. 7. his verbis: Si qui sicut augmentum, ut etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratia donum, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicum dogmatibus adversariis probatur, &c. Illum

etiam S. Augustinus locis conclusionem primâ ci- tatis impugnat illis Scripturæ testimoniis, quæ i- bi retulimus. Quibus adjungi potest id quod dicitur Actuum 16. de quadam Lidia purpuraria, nimirum Deum aperuisse ei cor, ut intenderet & crederet his quæ dicebantur à Paulo: nam ibi per cor significatur voluntas, quæ prius à Deo tangi & immutari debet per auxilium gratiæ, quam intellectus præbeat assensum veritatibus revela- tis. Quod ut magis pateat:

Sciendum est ex Tractatu de fide, veritates supernaturalis in hoc differre à naturalibus, quod istæ habent evidentiam vel ex seipsis, vel ex medio per quod illuminantur; ratione cujus evidentiæ convincunt intellectum, & ab eo qua- si extorquent assensum, absque eo quod sit ne- cessarium eum à voluntate ad talem assensum applicari, saltem applicatione liberâ: illæ verò nullam habent evidentiam, ratione cujus earum certitudo penetrari possit ab intellectu; subin- deque quantumque proponantur, non convin- cunt intellectum, nec ipsum trahunt ad præben- dum assensum, sed necessarium est, ut à volun- tate specialiter applicetur ad hujusmodi assen- sum. Unde bellè Augustinus Tract. 36. in Joan. Intrare quis quis in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest nisi volens. Hæc autem applicatio, pia motio, seu affectio voluntatis communiter appellatur. Hoc supposito,

Facile sic potest suaderi conclusio. Ad cre- dendum ex motivo supernaturali requiritur pia affectio voluntatis, quæ efficaciter moveat & determinet intellectum ad assentiendum veri- tatibus ipsi revelatis: Ergo etiam requiritur auxi- lium supernaturale ex parte voluntatis. Paret consequentia: quia voluntas suis viribus solis non potest movere efficaciter ad actum super- naturalem, cujusmodi est credere ex motivo su- pernaturali.

Confirmatur: Illa pia affectio voluntatis ha- bet objectum supernaturale: Ergo est superna- turalis; subindeque auxilium supernaturale pro principio formali exposcit. Utraque consequen- tia patet: nam ex supernaturalitate objecti for- malis, &c. colligitur supernaturalitas in actu, & ex supernaturalitate actus, supernaturalitas au- xilii & principii. Antecedens probatur: Obje- ctum volitum à pia affectione, est ipse actus fi- dei formaliter; Sed ille est supernaturalis: Ergo pia illa affectio habet objectum supernaturale.

Hæc ratio probat requiri auxilium gratiæ ex parte voluntatis, non solum ad actum fidei for- matæ quæ est cum charitate, sed etiam ad actum fidei informis, qualis est in peccatore; cum eni- talis actus sit intrinsece supernaturalis, utpote ex motivo supernaturali divine revelationis procedens. Unde quando Concilium Arausi- canum canone supra citato definit, ipsum credu- litatis affectum esse in nobis per gratiæ donum, non loquitur præcisè de pia affectione, quæ ini- tiat fidem, disponentem ultimum ad justificatio- nem, sed de illa, prout quemcumque actum fi- dei supernaturalis initiat.

§. II.

Præcipue objectiones solvuntur.

82 Contra primam conclusionem nullum est ar- gumentum difficile. Sed contra secundam istud obijci potest, Veritates supernaturales sunt intra obje-

objectum specificativum nostri intellectus: Ergo viribus naturae possunt ab illo attingi. Antecedens est certum: si enim tales veritates non essent intra objectum specificativum intellectus nostri, ille quamvis auxilio supernaturali adjutus, non posset eas attingere, cum nulla potentia extra suum objectum specificativum exire possit. Consequentia vero probatur. Quaecumque potentia potest viribus propriis attingere quidquid est intra suum objectum specificativum: Ergo si veritates supernaturales & nostrae fidei mysteria, intra objectum specificativum nostri intellectus continentur, viribus naturae poterunt ab eo attingi.

36 Respondeo distinguendo Antecedens: sunt intra objectum specificativum, proportionatum, nego Antecedens: improporionatum, concedo Antecedens; & nego Consequentiam. Ad cuius probationem eodem modo distinguendum est Antecedens: Quaecumque potentia potest viribus propriis attingere quidquid est intra suum objectum specificativum, proportionatum, concedo: improporionatum, nego.

37 Explicatur solutio hoc exemplo. Licet lux Solis contingatur intra objectum specificativum visus, quod est corpus acidum vel coloratum; quia tamen ob nimium ejus splendorem non est intra objectum proportionatum oculi corporei ab eo videri nequit, nisi virtute aliqua speciali & extraordinaria roboretur. Ita similiter, quamvis veritates supernaturales & mysteria fidei sint intra objectum essentiale & specificativum nostri intellectus, quod est ens ut abstractum à naturali & supernaturali, à creato & increato, à spirituali & corporeo; quia tamen non continentur intra ipsius objectum proportionatum & connaturale (quod pro hoc statu est ens intelligibile per convenientiam ad phantasmata, & per species à sensibus acceptas) non possunt viribus naturae ab eo attingi, sed debent prius proportionari, medio lumine levante potentiam, & collocante eam in eodem ordine supernaturali.

38 Contra tertiam conclusionem objicitur: Si ad credendum requiratur auxilium supernaturale ex parte voluntatis, sicut requiritur ex parte intellectus, sequitur quod sicut in intellectu, praeter auxilium actuale, ponitur habitus supernaturalis fidei, quo inclinatur permanenter ad credendum; ita supponendus aliquis habitus supernaturalis in voluntate, quo illa pariter permanenter inclinatur ad impetrandum actum fidei. Sed hoc videtur absurdum. Ergo & illud. Major videtur vera; cum eadem sit ratio de habitu, ac de auxilio, & de voluntate ac de intellectu. Minor vero falsae: Talis habitus supernaturalis in voluntate receptus, nec erit virtus theologica (cum virtutes theologicae sint tantum tres nimirum fides, spes & caritas) nec moralis; quia virtutes morales insulse amittuntur per peccatum mortale cum ipsa gratia à qua emanant; si vero talis habitus diceretur in voluntate, ille in peccatore remaneret, sicut fides, cum peccatore actum fidei informis elicere possit. Ergo, &c.

39 Respondeo primò negando sequelam Majoris: sicut enim in naturalibus ad opera artis efficienda ponitur habitus in solo intellectu, non autem in voluntate, quamvis ipse & instrumenta debeant in voluntate moveri: ita ad assentiendum mysteriis revelatis non est ponendus habitus in voluntate, sed in solo intellectu, licet intellectus assensum fidei non eliciat, nisi applicatus à voluntate; sed sufficit quod voluntas ad hanc

A applicationem per actuale auxilium eleveatur. Ratio vero disparitatis inter intellectum & voluntatem, quantum ad actum fidei, est, quia intellectus est elicivus immediate actus fidei, & ideo in eo est formalis & immediata difficultas; voluntas vero mediatè solum & applicativè ad illum concurrat.

90 Respondeo secundò, datà sequelà Majoris, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum est, talem habitum in voluntate receptum, nec esse propriè virtutem moralem, nec theologiam, sed reductivè pertinere ad virtutem theologiam, scilicet ad fidem, ut via & dispositio ad illam. Ultraque solutio probabilis est: quae verò sit probabilior, & doctrinæ D. Thomae conformior, dicemus in Tractatu de fide, ad quem hujus difficultatis solutio pertinet.

91 Objicitur insuper contra eandem conclusionem: Potest aliquis velle credere propter vanam gloriam; Sed talis volitio non potest esse ex auxilio speciali, cum sit peccatum & Deus specialiter ad actum peccati concurrat. Ergo non est necessarium speciale auxilium ad ipsam affectionem, sive initium credendi. Minor videtur certa: Major etià communiter recipitur, & est D. Thomae 2.2. qu. 47. ar. 13. ad 2. ubi dicit actum fidei non postulare ex se conformitatem ad appetitum rectum; unde sicut character sacerdotalis ex propria ratione ordinat ad verè consecrandum, non autem ad benè; ita fides ordinat essentialiter ad Deum in ratione veri, non autem in ratione boni & ultimi finis.

92 Respondeo concessa Majori, distinguendo Minorem: talis volitio non potest esse ex auxilio speciali, quatenus est moraliter mala, concedo Minorem: prout est in ordine physico, nego Minorem, & Consequentiam. Sequitur ergo cum Sacerdos vult consecrare propter vanam gloriam, vel propter sortilegium, intentio illa, ut consecrativa, & productiva corporis Christi sub speciebus, est à Deo, speciali auxilio concurrente; ut autem est intentio vanae gloriae, aut sortilegii, non est à Deo, sed à prava voluntate: ita pariter dum quis vult elicere actum fidei ob vanam gloriam quamvis talis volitio in esse mali moralis in solam voluntatem reducat; si tamen consideretur in esse physico, procedit ab auxilio supernaturali, quia sub hac ratione respicit objectum supernaturale, quia talis scilicet assensum fidei terminatum ad divinas veritates, sub ratione formali divinae revelationis.

§ III.

Corollarium notatu dignum.

93 Ex dictis inferes contra Durandum, Cajetanum & Molinam, auxilium gratiae, quod diximus requiri ad assentiendum veritatibus revelatis, non esse necessarium solum propter aliquem modum ipsius assensus, sed propter ejus substantiam & entitatem; ita ut cum solo concursu generali non possit homo elicere alium assensum, qui sit similis & ejusdem speciei cum isto, quantum ad substantiam.

94 Probatur breviter: Assensus de quo loquimur est quoad substantiam & entitatem supernaturalis: Ergo non potest produci, etiam quoad substantiam cum solo concursu generali, sed ad eum requiritur auxilium supernaturale. Consequentia patet ex supra dictis: nam actus supernaturalis exco

excedit vires naturales. Antecedens probatur: A. A. quod ejus primum & formale specificativum est supernaturalis, quoad substantiam & entitatem supernaturalis est: Sed primum & formale specificativum assensus fidei est supernaturalis: Ergo talis assensus est quoad substantiam & entitatem supernaturalis. Major pater: nam si primum & formale specificativum actus fidei est supernaturalis, ejus species & essentia supernaturalis erit: Ergo & ejus entitas & substantia; cum nihil magis pertineat ad entitatem & substantiam cujuscunque rei, quam ejus species & essentia. Minor vero suadet: Assensus fidei non terminatur ad veritates supernaturales quomodoque, sed terminatur ad eas sub ratione formali divina revelationis; adeo ut quamvis sint alia motiva quae inducere possunt ad credendum, illa tamen debeat intellectus transcendere & illis non inniti, sed soli auctoritati Dei revelantis: At divina revelatio est quid supernaturalis: Ergo primum & formale specificativum assensus fidei, est supernaturalis.

Dices: Actus fidei, cum sit vitalis, dicit ordinem ad potentiam vitalem à qua elicitur, nempe ad intellectum, & ab eo specificatur: Sed intellectus est potentia naturalis: Ergo actus fidei, quoad speciem, subindeque quoad entitatem & substantiam, naturalis est, & solum supernaturalis quantum ad modum quemdam accidentalem, & quatenus per modum dispositionis ad formam & finem supernaturalem ordinatur. Unde Concilium Arausicanum can. 6. & Tridentinum sess. 6. can. 3. non definiunt absolute necessarium esse auxilium gratiae ad credendum, sed Arausicanum addit, sicut oportet; & Tridentinum; sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur.

Respondetur actum fidei, ut vitalem, dicere ordinem ad potentiam vitalem, non nudè sumptam, sed ut elevatam per habitum fidei, vel auxilium speciale, quae sunt ratio proxima agendi, intellectus vero est principium duntaxat radicale & remotum: unde cum habitus fidei, & auxilium speciale, sunt supernaturalia quantum ad substantiam, actus fidei ab illis immediate procedens est quoque supernaturalis quantum ad substantiam, & non solum quantum ad modum. Ad illud vero quod ex Arausicano & Tridentino subditur, dicendum est, illa Concilia verba prædicta in suis definitionibus apposuisse, quia solum definire contra Pelagianos voluerunt, necessarium esse gratiam ad credendum sicut oportet ad justificationem & salutem; & non curantur quaestiones illam Theologicam, de qua agimus, determinare, an scilicet assensus fidei sit supernaturalis quoad substantiam, vel solum quantum ad modum, sed id reliquere Theologis disputandum.

Addunt aliqui, prædicta Concilia ita loqui, & addere verba illa, sicut oportet, ut indicent, posse quidem hominem per solas naturae vires assensui veritatibus fidei sibi exterius propositis, assensu quodam opinativo, ita ut ratio, propter quam illis assentitur, non sit divina revelatio, sed motivum aliquod probabile, ut in hæreticis contingere cernimus; non tamen assensu certo & infallibili, auctoritati, & veritati Dei revelantis innixo, qualis requiritur ad justificationem.

ARTICULUS III.

An homo in statu naturae lapsae possit sine gratia aliquod bonum morale naturale ordinis velle, & facere?

Quaestio procedit de triplici gratia; nimirum de gratia justificante, ad quam pertinet charitas, de gratia fidei, & de gratia actuali, seu auxiliante; juxta triplicem sententiam, quae in hujus dubii resolutione circumfertur. Prima est Michaelis Baii, existimantis ad omne bonum morale requiri gratiam habitalem, & imperium charitatis; subindeque omnia opera quae homo peccator elicit, esse peccata. Unde 34. ex propositionibus ejus à Pio V. & Gregorio XIII. proscriptis, sic habet: Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Et 39. In omnibus suis actibus peccator servit dominantis cupiditati.

Secunda est Janfenii, assentientis ad omne opus moraliter bonum, gratiam fidei esse necessariam ex quo infert, omnia opera in fidei sum esse peccata, & omnes eorum vires, vitia. Unde lib. 3. de statu naturae lapsae cap. 14. ait: Indubitatum esse in doctrina Christi & Ecclesiae, nullum opus bonum, nequidem moraliter ab humano arbitrio posse fieri, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei, liberetur: ut proinde ante fidem non sit liberum à peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abstinere; sed quocumque se verterit, quadam damna virobis insolubili peccandi necessitate teneatur. Et cap. 17. ejusdem libri hunc titulum praefigit: Nugae, delirium, insania, impietas, contraria Christianorum sensui, scripturae, & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum & Concilium Arausicanum.

Tertia sententia, licet ad actus moraliter bonos influxum charitatis aut fidei non requirat, docet tamen ad bene operandum moraliter necessariam esse gratiam quandam actuale & auxiliantem. Hanc olim tenet Gregorius de Arimino in 2. dist. 28. quem sequitur Vasquez hic disp. 189. licet iste diverlo ducatur motivo: Gregorius enim necessitatem gratiae auxiliantis ad opus morale probat ex defectu potentiae, unde illam exigere debet, ut de posse expeditum. Vasquez autem non ex defectu potentiae, sed ratione indifferentiae liberi arbitrii ad bonum vel ad malum, ejusdem gratiae necessitatem asseruit, quare illam exigit, non ut de posse, sed actu agere; eamque consulere docet in quadam cogitatione honesta & congrua; hoc est ad temperata genio, complexionem, seu temperamento hominis, vel à Deo immixta in circumstantiis illis & occasionibus, in quibus praevideat ab aeterno sua scientia media liberum arbitrium, per eam excitatum, ipsi consensurum. Eandem sententiam, ut probabilior, amplectitur illustrissimus Dominus Abelly, Episcopus Ruthenensis, in sua medulla Theologica, Tract. de gratia, lect. 5. conclus. 2.

§. I.

Error Michaelis Baii proscriptur.

Dico primò: Absurdum est dicere, nullum opus morale, seu honestum, fieri posse sine gratia sanctificante, ita ut quaecumque sunt à peccatoribus ante adeptam justificationem, sint peccata.